





1752.

1620, 2 5
6

Disputatio Juridica
De
**EMPTIONE ET
VENDITIONE.**

Quam
DEO adiuvante,

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi & Consultissimi VIRI,

**Dn. HELFRICI ULRICI
HUNNII, J. U. D.**

Illustrissimi Hassiæ Landgravii LUDOVICI,
Consilarii, & inclytæ Academiæ Giessenæ Pan-
dectarum Professoris ordinarii, Præceptoris
& fautoris sui multis modis
colendi,

Publicè, pro viribus defendere conatur

**PHILIPPUS SIGISMUNDUS CLUDIUS,
HELMSTADIENSIS SAXO.**

In auditorio Jctorum 26. die Augusti.



GISSÆ, Exscribebat PETRUS LUCIUS,
M. DC. XX.

19.





Nobilissimo ac Generoso VIRO,
Dn. THEODORICO BEHR, Here-
ditario in Stelligt & Hüßling,
REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI, Dn.
CHRISTIANI Ducis Brunsw. & Luneburgensium
Produci Grubenhagico & Consiliario
intimo, &c.

NEC NON

Magnifico ac Consultissimo Viro,
Dn. STATIO BORCHOLTEN,
ejusdem Celsissimi Principis in ducatu
Grubenhagensi Cancellario & Consi-
liario præcipuo.

*Dominis Patronis & Fautoribus
suis perpetuò honorandis.*

Hanc disputatione dicat & dedicat

AVTHOR ET RESP.





DISPUTATIO

De

EMPTIONE ET VENDITIONE.



E hac materiâ aliquid dicturi, non quidem quantum ad perfectam hujus contractus tractationem, sed quantum ad consuetum discursum sufficit, agamus. Et 1. de origine Emptionis, venditionis. 2. de ejus substantialibus & quæ res vendi non possint. 3. Quot modis hic contractus perficiatur. 4. à quibus contrahi possit vel non, & qui ad ejus celebrationem cogantur. 5. Quibus in rebus celebretur. 6. Quomodo & quot modis rescindatur. 7. & ult. Quæ actiones ex eo competant.

THESIS I.

Inter contractus qui consensu perficiuntur, merito refertur Emptio, venditio, quæ ideò consensu contrahi dicitur, quod neq; verborum neq; Scripturæ ulla proprietas desideretur, sed sufficit eos qui negotia gerunt consentire. Inst. de obli. ex consens. l. 2. §. 1. ff. de O. & A.

2. Hinc est ut Emptio, venditio perfecta sit, etiamsi neque traditio neq; numeratio pretii accesserit, p. inst. h. c.

A 2

Na

Nam in hoc contractu exigimus taxationem certi pretii: sed numerationem etiam pretii ad perfectionem hujus contractus non desideramus.

3. Originem sumit à permutatione *l. 1. ff. de contrah. empt.* in quibus contractibus fuit tanta similitudo, ut sæpè dubitabatur an sit permutatio seu emptio venditio, *d. l. 1. §. 1. & §. item pretium Inst. de empt. & vendit.*

4. Ac olim quidem usu nummi nondum invento, nullum erat inter hos contractus discrimen, & unumquique secundum necessitatem temporum ac rerum utilia inutilibus permutabat, *d. l. 1. in pr.*

5. Nummo vero invento cœpta est distingui permutatio ab Emptione vend., ita ut permutatio utrinq; fieret rebus, Emptio non utrinq; rebus, sed ex unâ parte re, ex alterâ pretio interveniente.

6. Et sic permutatio hodiè in multis differt ab emptione vend.: In venditione enim aliud est vendere, aliud emere, alius emptor, alius venditor; aliud pretium aliud merx; quod secus est, in permutatione, in quâ discerni nequit, quis sit emptor, quis venditor, quid pretium, quid merx *d. l. 1. §. penult. & l. 1. in pr. ff. de rer. permut.*

7. Emptio venditio quoq; solo consensu obligationem parit. *Inst. de oblig. ex consens.* permutationis conventio non nisi ex re secutâ *d. l. 1. §. 2. ff. de rer. permut. & l. 3. C. eod.*

8. Cum tam magnam cum hoc contractu affinitatem habeat permutatio, dubitabatur: si ex unâ parte una species tantùm detur, ex alterâ parte species quoq; & pecunia, an emptio vend. an vero permutatio contracta sit? In hac quæstione semper quid inter partes principaliter actum sit inspici debet, ut si expressè nominaverint partes venditionem tum venditio, si permutationem; tum permutatio sit. *l. 6. §. 1. ff. de act. empt.*

9. Si

9. Si vero non constet quid actum sit, debet inspicī quid plus valeat, an pecunia quæ ab unâ parte solvitur prævaleat rei quæ ab eadem parte & erit emptio, an vero prævaleat res pecuniæ & erit permutatio *l. qui quid 27. § final ff. de acquirend. rer. domin. arg. l. queritur 10. ff. de stat. hom.*

10. Si hoc cognosci non potest, nec partes nomen contractus expresserunt, in dubio erit permutationis contractus præsumendus *l. 1. ff. de estim. act.*

11. Substantialia hujus contractus emptionis venditria sunt, quæ in hoc contractu incundo ad eò sunt necessaria, ut si vel unum ex iis omittatur, contractus perfectus non fit, & emptio nulla.

12. Primum est CONSENSUS *l. 1. in fin. ff. de contrah. empt. l. 2. C. eod. sine quo hic contractus consistere nequit l. 9. ff. h. r. & ut ab utraq; parte interveniat necesse est l. 1. ff. de pact. l. in omnibus 5. ff. de de O. & A.*

13. Qui debet esse liber *l. nihil consensui 116. ff. de R. I. & in quantum fieri potest clarus & perspicuus: nam si obscurus sit, etiamsi initio contrahatur, tamen interpretatio fit contra venditorem, in cuius potestate fuit legem apertius dicere. *l. veteris 39. ff. de pactis. l. labeo 21. l. cum in lege 33. ff. de contrah. empt. l. in contrah. 172. ff. de Reg. Iur. Dn Procancellarius Ioh. Kitzel. in prælect. publ. c. tua nos 36. extr. de sponsalib. ration. dubit. 5.**

14. Non coactus, ut videlicet utraque pars in hunc contractum volens accedat, nam emptio metu facta rescinditur *l. 1. C. de rescind. vend. l. 1. ff. quod metus causa.* Et dolus contractui bonæ fidei dans causam & initium ipso jure vitiat contractum *l. 3. §. ult. ff. p. socio.* Nec conventio de dolo non præstando valet *l. contractus quidam 23. ff. de R. I. l. 1. §. illud 7. ff. de pos. Quia in omnibus contractibus bona fides præstanda est l. in mandato 59. §. 1. ff. mandati.* Et dolus bonæ fidei opponitur *d. l. 3. §. 3. ff. pro socio l. si dolo 5. C. de rescind. vendit.*

A 3

15. Neq;

15. Neq; simulatus *l. nuda 55. ff. de contrah. empt. l. imaginaria 16. ff. de R. I. Tot. tit. Cod. plus valer. quod agit quam quod simul. a* Ut si fiat venditio donationis causa per simulatione, ita enim Emptio vend. fieri non potest *l. sicut Emptio 20. §. 1. ff. locat. Cond. l. cm in venditione 36. ff. de contrah. Empt. l. 3. C. cod.*

16. Dissensus etiam seu error in materia seu corpore vitiat emptionem, (nihil autem impedit error nominis cum de corpore constat *l. in venditionib. 9. §. 1. ff. d. t. l. si in nomine servi 32. ff. V. O. si in iudicis 80. ff. de iudic. & ubi quisq; & c. Dn. Pro-cancellarius Iohan. Kitzel. in prelect. publ. d. c. tua nos 36. extr. de sponsal. ration. dubit. 4.*) puta si æs pro auro, plumbum pro argento vendatur *d. l. in venditionib. 9.* Quia cōsensui nihil tam contrarium est quam error & dissensus *l. si per errorem 15. ff. de iurisdic. & ubi quisq; & c.*

17. Et Conditione indebiti vel sine causa pretium quod solvit emptor repetere potest *l. sua rei. 6. l. cum ab eo 41. §. ult. l. demum 57. ff. de contrah. empt.*

18. Cum autem nulla regula sit tam firma quæ non habeat suas exceptiones, ea quoq; hic locum habere potest: ut videlicet emptio, venditio non valeat, si in materia quæ toto genere sit diversa, erratum sit, ut si aurum deterrimum vendatur pro optimo, Renense pro Ungarico, consistat emptio venditio *l. quid tamen 14. ff. d. t.*

19. Secundum substantiale emptionis venditionis est RES seu MERX sine quâ nec emptio nec venditio potest intelligi *l. nec emptio 8. ff. d. t.* quæ à parte venditoris tradi (venditorem accipimus eum, qui rem tradit pro pecunia, cuius factum venditio vocatur) & talis esse debet, ut vendi possit.

20. Vendi non possunt res quæ commercio hominum sunt exemptæ, ut liber homo *l. 4. cum duab. ll. seqq. l. si in emptione 34. & l. liberi 70. ff. d. t.* res sacra, sancta, religiosa & publicis utibus destinata item loca sacra & religiosa *§. fin. l. inst. l. t. l. 6. d. l. si in emptione 34. §. omnium cum ser. l. littora 51. l. qui officii 62. ff. eod.*

21. Sacra

21. Sacratissima atque arcana vasa vel vestes cæteraq; donaria, quæ ad divinam religionem necessaria sunt, *l. sancimus nemini 21. C. de SS. Eccles.* exceptâ causâ redemptionis captivorum & famis, quoniam non absurdum est animas hominum quibuscunque vasis vel vestimentis præferri *d. l. sancimus 21. ut & littora* quia nullius sunt & jure gentium omnibus vacent *d. l. littora 51.*

22. Si tamen hujusmodi res ab ignorante emanantur emptio esse intelligitur *l. 4. cum seqq. d. t.* non ut res ipsas consequatur, sed ut deceptus emptor habeat actionem ex empto, & consequatur quod sua interest cum deceptum non esse. *S. final. inst. hic d. l. Qui officii 62. ff. de contrah. empt.*

23. Item non possunt emi nec vendi bona minorum *l. 1. ff. de reb. cor. qui sub tutel. vel cur. sunt l. 1. & per tot. C. de præd. & aliis reb. minor.* nisi vèdantur ex causâ legitimâ & intervenientibus solennitatibus, & formis in jure requisitis: vel si vendantur res quæ corrumpuntur & servari non possunt, ut vinum frumentum, animalia superflua, &c vel deniq; si vendantur propter magnum æs alienum solvendum *l. magis puta 5. S. si es alienum, 14 ff. d. t.* aut propter defectum alimentorum pupilli *l. sed si is 5. S. an autem ff. de Carbon. edict.*

24. Prohibitum etiam est venena vendi, nisi adjectione alterius materiæ fieri possint salutaria *l. quod sepe 35. S. 2. ff. d. t.*

25. Arma hostibus imperii sub pœna capitis & confiscationis bonorum. *l. 2. C. quæ res exportar. non deb.*

26. Bona feudalia sine consensu domini feudi, sub pœna amissionis bonorum feudaliæ. *c. un. S. final. quæ fuit prim. caus. benef. amit. c. un. de prohib. feud. alie. per Lothar.* etiâ si vasallus fructus rerum feudaliæ sine licentia Domini ad certos annos vendere possit, quia venditio fructuum alienatio nō est.

27. Minimè quoq; permissum est emphyteutæ sine consensu domini meliorationes suas aliis vèdere *l. 3. C. de jur. emphy-*

emphyteut. licet domino in seio donare possit. Debet enim denunciare domino se jus suum quod habet in prædio esse venditurum, quod nisi faciat, jure suo cadit.

28. Ut & rem, quæ mea est, emere non possum, quia quod semel meum est amplius meum fieri non potest *l. sue rei 16. ff. de contrah. empt. l. 4. & 10. C. eod. tit. l. neq. pignus 45. ff. de R. I. l. servum 37. ff. de condict. indeb.* nisi emptio fiat cum conditione *l. si in emptione 34. §. rei sue 4. & l. existimo 61 ff. h. t.* aut si possessio seu jus aliquod quod alteri competit videlicet ususfructus *d. l. sue rei 16.* (emptor enim rectè dicere potest totam rem esse suam, etiamsi ususfructus suus non sit *l. rectè dicimus 25. ff. de V. 8.*) ematur, *l. si aliquam 28. ff. de acquir. vel amit. possess. d. l. si in emptione 34 §. item si 3. ff. de contrah. empt.*

29. Tertium & ultimum substantiale est PRETIUM sine quo æquè emptio nulla est *l. 2. & l. pacta cōventa 72 ff. d. t.* illudq; ex parte emptoris (emptorem intelligimus eum, qui pecuniam dat pro re, cujus factū emptio vocatur) solvi, sicut res ex parte venditoris tradi debet.

30. In pretio duo considerantur: primum ut sit certum *§. 1. in pr. inst. h. t.* nihil vero interest utrum, jam ab initio certum dictum sit, an verbis ita constitutum, ut postea certum fieri possit, ac postea tale esse incipiat *d. §. 1. inst. h. tit.* Secundum ut pretium consistat in quantitate seu pecunia numeratâ. *l. empti 9 C. de contrah. empt. §. 2. in pr. inst. h. t.*

31. Quod ita intelligimus, ut pretium in pecunia numerata determinetur, Nam in solutione benè potest res solvi pro pecunia, volente tamen venditore, non eo invito *l. 9. C. de rescind. vendit.*

32. Conventio enim de pretio certo emptionem efficit, etiamsi nondum sit numeratum, & ejus taxatio pertinet ad contractus perfectionem, numeratio vero ad contractus consummationem, *ut sup. in th. 2. dictum est.*

33. Pre-

33. Pretii dominium emptor perfecta emptione in venditorem transferre tenetur, cumq; pecuniæ dominum facere l. i. ff. de rer. permut. nisi eo nomine satisfactum (veluti expromissore vel pignore dato §. vendite 42. Inst. de R. D.) aut venditor in eo emptoris fidem secutus sit l. Quod venditi 19. de contrah. empt. l. 11. §. 1. ff. de act. empt.

34. Licet autem contrahentibus in pretio naturaliter se circumvenire l. in causa 16. §. penult. ff. de minor. 25 ann. l. item si. 22. §. ult. ff. locat. conduct. & hæc lætio seu circumscriptio tum demum admittitur si sit tolerabilis ac dolus & machinatio absit. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit. Si enim probari possit quod deceptio pretii ex dolo contrahentium proficiatur, rescinderetur venditio l. si quis 9. ff. de dol. mal. l. & ideo 23. ff. locat. conduct.

35. Contrà vero venditor emptori rem venditã præcisè tradere tenetur, si ejus præstandæ facultatem habet, nec liberatur præstando id quod interest §. alia autem inst. de donat. §. sed & certum 1. inst. hic. l. exempto 11. §. & in primis §. venditorem 7. & l. servus 30. §. unic. & l. si quis alienam 46. ff. de act. empt. Nam certum est obligationem esse contractam: At vero obligatio nihil aliud est quam juris vinculum, quo necessitate adstringimur ad solvendum. Nihil etiam magis bonæ fidei congruit, quam id præstari quod inter contrahentes actum est, d. l. exempto l. 1. in pr. ff. de pact. l. 1. & 25. ff. de constit. pecun. l. non minorem 20. C. de Transact. & l. cum venderem 21. ff. locat. Et aliud pro alio invito solvi nõ potest l. 2. §. 1. ff. si cert. petat. Aliud autem res aliud interesse.

36. Qui simpliciter rem tradendo non sic liberatur sed tenetur emptori vacuum possessionem tradere, l. 2. §. 1. l. 3. §. 1. d. l. exempto 11. §. item Neratius 13. ff. de act. empt. l. si pater 8. C. eod. l. si fistulas 78. §. 1. ff. de contrah. empt. & l. cum res 12. C. de probat. in eaq; potiolem facere emptorem, ac dominium et-

B

iam



iam transferre si habet, vel ejus loco præstare usucapiendi conditionem, unà cum evictionis cautione, *d. l. ex emto* §. 2.

37. Vacuam possessionem intelligere debemus, quæ ab omnibus non solum veris possessoribus, sed etiam iis, qui quoquo jure rem teneant, vacua est; ut si alius sit in possessione ejus rei, vel rei servandæ causa: ut creditores, vel legatorum seu fideicommissorum nomine, non sit vacua possessio, *l. 2. §. un. ff. de act. empt.* Eoq; nec videtur res tradita, quæ his in possessione manentibus tradita est, neq; etiam si quis jure possessionem avocaverit, *l. 3. in pr. ff. de Act. empt.*

38. Amplius tamen quam semel rem tradere venditor non tenetur. Ideoq; si hoc fecerit, statim est ab obligatione illa tradendi liberatus, & si postea eadem res reverteretur ad venditorem, emptor ineptè contra eum institueret actionem empti, sed rei vindicatione, vel publiciana, aut aliquo interdicto agere potest.

39. Diximus sup. in th. 30. emptionem venditionem nullam contrahi posse nisi pretium sit certum. Quæstio igitur hæc moveri potest, an venditio sit si justo pretio fiat? q; negamus, hac ratione moti, quod hoc casu pretium certum esse non possit.

40. Cum nummus pretio opponatur *l. 10 §. fin ff. de acquir. vel amitt. possess.* sequitur emptionem uno nummo celebrari non posse.

41. Potest autem pretium in hoc contractu conferri in arbitrium alicujus tertii, *l. final. C. de contrah. empt.* (Non in arbitrium emptoris, *l. quod saepe 35. §. 1. ff. de contrah. empt.*) qui tamè certus erit & specificè nominatus, aliàs contractus nullus: ut fundus ille tibi èptus est, quãti Titii aestimaverit. Quid si multò minoris Titius rem aestimet, aut multò pluris quã valet? placet nihilominus & valere venditionem, & pretium secundum Titii aestimationem esse solvendum *d. l. ult. C. de contrah. empt.*

42. Valet quoq; venditio si fiat eo pretio, quod in ar-
cà ha-

cà habeo l. 7. §. 1. ff. h. t. quia pretii certitudo hic manifestissima est, designatur nempe quantitas quæ in arca est.

43. Ut & pretio declarando à peritis æstimatoribus, quia inter æstimatores peritos, quorum alter ab emptore alter à venditore eligendus est, nulla potest esse discordia, & propter certitudinem jam electi videntur, quippe cum id quo pacto destinatum & constitutum est pro jam facto habendum sit l. cum aurum 19 §. infecti 11. vers. quid ergo & l. vestimentum 22. ff. de aur. & argent. legat.

44. Atq; hæc breviter de tribus substantialibus: consensu scil., mercede, & pretio. Quæ si intervenerint emptio dicitur perfecta, & omnia cōjunctim probari debent ut emptio probata dicatur, quoties n. lex plura cōjunctim requirit, nō sufficit quædam fieri, sed omnia adimpleri necesse est.

45. Et sic emptione perfectâ, ab eâ recedere non licet, (adeo ut ne quidem Imperator illud ex plenitudine potestatis adimere possit, l. 3. C. de rescind. vend.) sicut initio libera potestas unicuiq; est habendi vel non habendi contractus, ita renunciare semel constitutæ obligationi adversario non consentiente, nemo potest l. sicut 5. C. de O. & A. nequidē cum arrharum dispendio, quando arrha data est l. 2. C. quando liceat ab empt. disced. Si vero omnibus integris convenerit, ut res, de quâ contractus initus est, inempta esset, tollitur contractus, & consensu eorum qui inter se obligati sunt abitur & receditur ab emptione, l. jurisgentium 7 §. adeo 6. & l. ab emptione 58 ff. de pact. §. ult. Inst. Quib. mod. toll. obl. Ac non solum in totum ab emptione venditione, sed etiam pro parte, pactione discedi potest, si saltem omnibus integris conveniat, ut pars rei emptæ inempta esset d. l. jurisgentium 7. §. adeo 6 ff. de pact.

46. Emptione perfecta omne etiam commodum rei venditæ ad emptorē regulariter pertinet, etiam si res tradita non sit §. cum autem 3. Inst. hic l. id quod 7. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 1. C. eod. t.

B 2

47. Quæ-



47. Quæritur autem incommodum seu periculum rei venditæ ante traditionem emptione perfecta ad quem pertineat? Nos dicimus illud quoq; ad emptorem pertinere propter illam regulam juris, qui sentit commodum debet etiam sentire incommodum. *d. § cum autem 3. Inst. hic. l. secundum 10. ff. de R. I. l. is qui 15. §. ult. ff. de legatis præstand. contra tab. &c.* quod tum procedit cum res in specie (secundum jureconsultos) est vendita *d. §. cum autem 3. l. cum emptor 5. §. mortuo ff. de rescind. vendit. d. l. id quod 7. l. necessario 8. & l. si vendita 11. ff. de peric. & comm. rei vend.*

48. Secus est in venditione conditionali, nam pendente cõditione, si tota res perit, ad venditorem periculum, si vero deterioratur ad emptorem pertinet, *d. l. necessario 8. in pr. vers. quod si pendente, ff. de peric. & commod. rei vend.*

49. Idem obtinet si pactum in contrarium interverit, ut si venditor in se periculum casus susceperit, *d. §. cum autem 3. vers. sanè.* Aut genus sit venditum, quia genus & quod in genere debetur perire non potest, *l. incendium 11. C. si certū petat. §. item is 2. vers. & is quidem Inst. quibus modis re contrah. obligat. l. 1. §. 4. ff. de O. & A.*

50. Aut venditio alternativa facta, veluti vendo tibi Titium & Sempronium, nam tunc Titio mortuo Sempronius dandus est. Si vero pariter decesserint unius periculum ad emptorem pertinet quia unus periculo emptoris vixit, *d. l. si in emptione 34. §. si emptio 6. ff. de contrah. empt. aut venditor in mora tradendi fuit, qui interpellatus rem non tradidit l. illud sciendum 17. ff. de peric. & comm. rei vend.*

51. Custodian tamen usq; ad traditionem venditor præstabit talem, qualem debent homines frugi & diligentes & exactiorem quam in suis rebus adhibere solet *l. 3 ff. d. t.*

52. Fatale damnum aut casum non præstat, nè incendium quidem, quod si vero ipsius culpa probetur, merito ex bonâ fide tenebitur.

53. Hinc

53. Hinc nunc oritur illa controversia, uter, prior em-
ptor an venditor emptionem perfectam, si de ea lis oriatur
implere debeat? Et veriùs est eum teneri prius contractum
emtionis adimplere qui prior ex contractu agit, quia agen-
ti aliàs obstat exceptio, & iniquum esset ut quis petat con-
ventionem implere, qui ipse nondum satisfecit. Adeoq; em-
ptor agere volens offerre tenetur pretium *l. Julianus 13. §. of-
ferri 8. ff. de act. empt.* Si videlicet utiliter vult agi.

54. Perficitur emptio venditio variis modis, non tan-
tùm inter præsentes sed etiam inter absentes: puta per litte-
ras aut per nuntium ad hoc specialiter destinatum, *l. 2. §. 2. ff.
de O. & A. l. 1. §. fin. ff. de contrab. empt.*

55. In Scriptis vel sine scriptis: illa statim perfecta
censetur, simul atq; de re & pretio convenerit: hæc nõ prius
quam instrumentum completum fuerit, omnibusq; suis nu-
meris absolutum *pr. Inst. hic l. contractus 7. C. de fid. instrum.*

56. Interdum sine arrha, interdum arrha interveni-
ente. Non tamen arrhæ datio de substantia, sed argumen-
tum emtionis venditionis est, ut facilius probetur *l. quod se-
pe 35. ff. de contrab. empt.*

57. Purè aut conditionaliter *§. emptio 4. Inst. hic* purè,
ut: vendo tibi fundum pro centum florenis: conditionaliter,
veluti si Titius tibi intra certum diem placuerit, erit tibi em-
ptus aureis tot *d. §. emptio*. Hæc conditionalis venditio ante
conditionem existentem imperfecta est, & tum perfecta di-
citur cum impleta fuerit conditio *l. hac venditio 7. in pr. ff. de
contrab. empt.* Illa stat. m simul atq; convenerit.

58. Variatur etiam pactis hic contractus *T. T. C. de pa-
ctis inter empt. & vendit.* Qualia sunt in diem addictio, & lex
commissoriam: in diem addictio ita fit, ille fundus esto tibi cẽ-
tum emptus, nisi quis intra Calendas Januarias proximas
meliolem conditionem fecerit, quo res à domino abeat, *l. 1.
ff. de in diem addict.*

B 3

59. Me-

59. Melior autem conditio afferri videtur si vel pretio sit additum, vel solutio facilior aut maturior, vel quid utilius venditori afferatur, ut latius *ex l. 4. §. final. ff. d. t. de in diem addict.* patet.

60. In summa quicquid ad utilitatem venditoris pertinet, pro meliori conditione haberi debet, *l. quicquid, ff. d. t.* Non vero potest melior conditio afferri, nisi alio emptore existente, qui hanc adferat, & nihil interest quis sit ille emptor, dum alius: utrum extraneus aliquis, an vero unus ex pluribus contrahentibus.

61. Et licet venditori, meliore allata conditione, addicere posteriori, nisi paratus sit plus adjicere prior, *l. licet 7. eod. tit.* Quem necesse habet venditor, meliore conditione allata, certiozem facere, ut si quid alius adjicit, ipse quoque adjicere possit *l. necessario 8. ff. eod.* ideoque si prior quid adjicere volet, placet ei licere, & manere apud eum rem venditam *d. l. licet 7.* Non enim videtur melior conditio allata ab alio, ubi eam quæ allata est prior emptor adjectione superavit.

62. Idque obtinet quod in *pr. th.* antecedentis dictum est, cum revera refertur melior conditio, non quando per simulationem adjicitur emptor, *l. ubi autem 4. §. cum igitur 5 ff. eod.* quoniam falsus emptor & qui se talem simulat, non est emptor, & si falsus emptor subjectus sit priori res erit emptæ, *d. l. ubi autem 4. §. cum igitur 5.*

63. Quid tamen si venditor aliquem subjecerit, & dum simulat meliorem conditionem sibi allatam, rem alii addixerit? Volo priorem emptionem nihilominus manere, quapropter & priori emptori venditor obligatus manet, & eadem præstare debet, quæ ex priore emptione illum præstare oportuit, *l. si venditor 14. in pr. hic.*

64. Nullo etiam modo licet venditori quomodo-
cunque velit conditionem allatam admittere, sed exigitur ut
aut

aut totam adjectionem admittat aut totam repudiet. Qui si meliore conditione allata, dimidiam tantum fundi partem addicat secundo emptori, nihil agit, sed totus fundus priori emptus manebit, *l. quod si uno 13. ff. hic.*

65. Addictioni in diem proxima est Lex commissoria: quæ ita fit, nisi intra certum diem pretium solvatur inempta res fiat, *l. 2. & 4. ff. de leg. commissor.* quod pactum lex vocatur, nam pacta leges sunt contractuum *l. 1. §. si convenit 6. ff. deposit.* & legem contractui dicere est adjicere conventionem & conditionem moderandi contractus causa.

66. Hæc emptio pura est, & magis sub conditione resolvi contractus quam sub conditione contrahi videtur, *l. 1. ff. de leg. commissor.* Ac committitur si emptor, quamvis non interpellatus, pretium suâ die non offerat, *l. 4. §. fin. hic.* Dies enim interpellat pro homine *l. magnam 12. C. de contrah. empt.* nisi emptor justas causas probare possit quibus impeditus sit in explicanda ad diem solutione.

67. Commissâ pactione est in potestate venditoris, utrum legem commissoriam exercere, an pretium petere velit. Nam hæc lex ejus causa adjecta est, ut videlicet ea uti non possit si velit, etiam invito emptore. Non vero potest si commissoriam elegit postea variare, *d. l. 4. §. eleganter 2. d. t. Wesenb in π. hic.*

68. Cum in favorem venditoris hæc pactio adjiciatur, ei utique renunciare poterit. Cum omnes licentiam habeant iis quæ pro se introducta sunt renunciare, *l. pen. C. de pact.* & tùm commissoria renunciatum videri placet, cum venditor partem aliquam pretii accepit, *l. de lege 6. §. ult. ff. de lege commiss.* aut pretium solummodo petiit, *l. post diem 7. eod. tit.* Ratio quare id procedat, hæc est, Quia non potest pretium accipi, aut peti utiliter ex causa emptionis nisi prius

valuit



valuit emptio. Ita qui consequens voluit, admisit prius quod antecedit sine quo ad consequentia perveniri non potest necesse est, *l. illud 77 ff. de acquir. vel mitt. hered.*

69. Sub conditione contractus resolvitur, & res inempta fit quando pretium determinato die non est solutum, ac tum omnia & res & commoda quæ emptor (ut fit in omni emptione purè contracta ubi commodum & incommodum regulariter ad emptorem perinet, *ut sup. in th. 44. & 45. dictum est*) percepit, ad venditorem redeunt, quæ emptor venditori restituere cogitur. Estq; in eam rem venditori ex vendito actio, *l. 4. in pr. sum l. seq. ff. hic.*

70. Huc etiam referri potest pactum de retrovendendo: ut oblato quando cunq; vel intra certa tempora pretio res restituatur, *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.*

71. Quando certum tempus non est appositum, & emptori postea (quocunq; etiam sit tempore) pretium per venditorem oblatum, cogitur emptor rem tradere, si ejus facultatem habet, nec præstando interesse liberatur, *d. l. 2. ubi Dd.*

72. Omnes etiam fructus quos medio tempore percepit emptor lucratur, nec tenetur eos in sortem imputare vel rem sub hoc pacto emptam restituere, nisi illi prius pretium sufficienter fuerit redditum & exsolutum. Secus se res habet in fructibus, si moram fecerit in revendendo, quia à tempore moræ, sive post moram emptor fructus restituere tenetur.

73. Quando vero venditor apposuit pactum de certo tempore & neq; ipse neq; hæredes eius infra illud tempus pretium obtulerint, elapso eo tempore non potest cogere emptorem ad revendendum. Quod enim permissum est ad certum tempus videtur postea denegatum.

74. Contra hoc pactum de retrovendendo non attendi-

renditur nec currit ulla præscriptio, etiamsi esset centum annorum *Borcholt de Usur cap 6. n. ult.* Est enim res meræ facultatis, quæ præscribi non possunt, *l. 2 ff. de via publ.*

75. An autem in hæredes transeat quidam dubitant? Nos ex utrâq; parte ad hæredes transire affirmamus, etiamsi hæredum facta mentio non sit. Cùm omnes actiones (exceptis pœnalibus) activè & passivè ad hæredes transeant, §. 1. *Inst. de perpet. & tempor. act.* Et cuilibet contractus præsumatur celebratus ut includantur hæredes, *l. si pactum 9 ff. de probat. l. veteris 13. C. de contrah. & comm. stipulat.*

76. Possit etiam extraneo cedi volumus, quia regulare est omnem actionem personalem cedi posse, hic autem casus non reperitur exceptus, ergo standum erit huic regulæ donec de casibus exceptis doceatur.

77. Controvertitur igitur an ex hoc pacto actio realis vel personalis detur? Eo in illorum sententiam qui personalem dandam esse dicunt. Unde si res ab emptore rursus sit vendita, prior venditor à secundo emptore rem non vindicat, sed datur ei tantùm actio personalis ex vendito adversus primum emptorem in id quod interest.

78. Nec minus controversum est, an is qui emit fundum à duobus cum pacto de retrovendendo teneatur unam partem revendere? Neg. Nam præsumitur contrahentes verosimiliter id egisse, ut aut totus fundus reemeretur, vel totus retineretur.

79. Hic contractus emptionis vendit. celebrari ab omnibus potest, qui aliàs obligari possunt & liberam habent bonorum suorum administrationem, *l. dudum 14. C. de contrah. Empt.* Et cum Emptio venditio peragatur consensu, consensus autem sit juris gentium, sicut & ipse contractus emptionis venditionis juris gentium est *l. 1. §. fin ff. de contrah. empt. l. 7 ff. de pact. l. 5 ff. de I. & I. §. jus autem gentium Inst. de jur.*

C

Nat.



Nat. Gent. & Civil. non minus hi qui juri alieno subiecti sunt, quam hi qui juris sunt sui emere ac vendere poterunt.

80. Cum etiam nulla solennitas verborum necessaria sit, dummodo per facta & signa consensus declaretur, consequens est & mutum & surdum emptionem vend. contrahere posse, sicut & tales personæ matrimonium contrahere possunt.

81. Contrahere tamen etiam si sint juris sui, quidam natura quidam lege prohibentur: *Naturâ* ut infantes, quorum in jure nostro nullum intelligitur esse judicium atque adeo nullus consensus seu intellectus, §. *pupillus* 9. *Inst. de inutil. stipul.*

82. Et furiosi, §. *sed &* 4. *Inst. de curat.* qui nulla eorum est voluntas l. 5. & l. *furiosi* 40 ff. de R. I. & l. *qui servum* 47. ff. de *acquir. vel mittend. hered.* & nullus consensus l. 2. *Cod. de contrah. empt. & vend.* sed per omnia & in omnibus, absentium, quiescentium, dormientium & ignorantium loco habentur, l. 2. §. *penuit* ff. de *jur. Codicill.* l. *ubi non voce* 124. *in fin.* ff. de R. I. l. 1. §. *furiosus* 3. ff. de *acquir. vel amitt. possess.* l. 4. ff. de *divort. & repud.*

83. Hoc autem de furiosis dictum esse volo, qui continuâ mentis alienatione omni intellectu carent, l. *Divus Marcus* 14 ff. de *offic. presid.* Nam si intervalla seu intermissionem furoris habeant, eo tempore quo furor eorum intermissus est rectè contrahunt, quia jam sensum habent, & consentire, imò testamentum facere, & alios quoslibet contractus celebrare possunt §. *prater* 1. *vers. furiosi* *Instit.* quib. non est *permiss. fac. testam.* d. l. 2. *C. de contrah. empt. & vend.*

84. *Lege*, ut pater & filius, inter quos emptio & venditio contrahi non potest, nisi de castrensi & quasi castrensi pecu-

peculio, l. 2. ff. de contrah. empt. Cum in castrensi & quasi ca-
strensi peculio filii familias pro patribus familias habeantur,
l. 2. ff. ad SCtum Maced. alias filiusfamil. cum aliis rectè con-
trahit.

85. Prodigus, quia furioso similis est, & nullam ha-
bere voluntatem intelligitur d. l. furiosi 40. ff. de R. I. (factâ au-
tem interdictione prodigus furioso assimulatur non ante)
tùm etiam tradere non potest, nec promittendo obligatur,
l. 6. ff. de V. O. sibi vero stipulando acquirere potest d. l. 6. l. certi
condictio 9. §. sed & sibi 7.

86. Pupillus, cui etsi aliquis consensus est, est tamen
ille imperfectus, nec ullius in alienando effectus, nisi tutoris
autoritate suffulciatur, & si quis ab eo sine tutoris autoritate
emerit, ex uno latere contractus constat, nam qui emit ob-
ligatus est pupillo, pupillum tamen sibi non obligat. l. Julia-
nus 13. §. penult. ff. de action. empt. §. pupillus 9. Instit. de inutil. sti-
pub. l. 5. §. 1. ff. de autor. & cons. tutor. & curat.

87. Tutores & curatores in rebus pupilli ratione
privati officii, l. si in emptione 34. §. fin. ff. de contrah. empt. nisi hoc
fiat palàm, l. 5. C. eod. Quod si tamen antequam quis tutor
fieret rem emerit, quæ pupilli est, is rem emptam etiam
post tutelam acceptam sibi tradere potest. l. fistulas 78. §. 1.
ff. eod.

88. Administrator publicus vel privatus, non solum
per se verum & aliam personam in illis rebus quas in admi-
nistratione sua habet sub pœna quadrupli, l. non licet 46. l.
Qui officii 62. ff. eod. l. 1. C. de contract. judi. quod tamen fallit si
hoc ei specialiter à Principe concessum sit, d. l. non licet &
d. l. 1.

89. Deniq; emptio vend. inter medicum & ægrotum
morbi tempore contracta non valet l. 3. ff. de var. & extraord.
cognit.



90. Prohiberi etiam ex justa causa in quibusdam casibus quis potest ne emat, etsi alio modo ei non interdicator, ut est is qui in foro pro frumento plus debito offert, ut alii carius & plaris emere cogantur, vel is qui in alterius detrimentum plus debito promittit.

91. Circa hæc quaestio illa moveri potest, An proximiores de genere vel familia in emptione bonorum immobilium habeant prærogativam sive jus *πρωιότητος* ut extraneos emptores excludant? Puta vendidi agrum meum alicui extraneo, frater meus idem pretium vult dare quod extraneus. Quæritur an contracta emptio inter me & extraneum à fratre meo retrahi possit? Negandum id arbitror propter textum expressum in *l. Dudum 14. C. de contrah. empt.* Nisi testator prohibuisset alienationem extra consortes vel proximos vel familiam fieri, veluti si testator dixisset, Nolo talem fundum alienari quia fuit mihi ab Imperatore donatus, vel fuit meorum majorum. In his enim consistit justa affectio, ut colligitur ex *l. si in emptionem 35 ff. de Minor.* tunc si res in extraneum alienata est, potest per omnes de familia revocari, & proximior in gradu præferendus est *l. peto 69. §. fratre 3. ff. de leg. 2.* Aut si id de consuetudine in quibusdam locis observetur. Aut si inter cohæredes in divisione ita est conventum, cum contractus legem ex conventionem accipiant. *l. 1. §. si convenit 6 ff. Deposit.*

92. Hactenus de personis, quæ etiam si hunc contractum celebrare velint, illis tamen de jure interdicator: Nunc breviter de iis agendum, quæ etiam si non velint, jure tamen cogi possint, ut debeant.

93. Nemo invitus ad vendendum & emendum cogi potest dicitur in *l. invitum 11. l. dudum 14. C. de contrah. empt. l. nec emere 16. C. de jur. delib.* Quia contractus ab initio sunt voluntatis licet postea sint necessitatis *l. sicut 5. C. de O. & A.* Non tamen

tamen hæc regula semper locum habet: ut si publica salus
fortasse sit præferenda privatæ utilitati, vel si alias quis sit
obstrictus de jure præstare obedientiam alicui jussui, tunc e-
nim quis rectè ad vendendum & emendum invitatus cogi po-
test.

94. *Primò*, tenetur hæres invitatus, quando à testato-
re gravatus est, fundum legatarii emere, *l. & si equo 66. ff. de
leg. 1.* Nam voluntas testatoris pro lege habetur, *c. secundum
vero 2. Novell. 22. de Nupt.*

95. *Secundò*, Dominus servum non solum favore li-
bertatis vendere cogitur *l. 1. C. de communi. servo. manumiss. §.
fin. Inst. de donat.* verum etiam si eum atrociter verberaverit
vel malè tractaverit, *§. fin. Inst. de his qui sui vel alien. juris sunt.*

96. *Tertiò*, Tempore caritatis annonæ quis à princi-
pe vel Magistratu compelli potest, ut fructus suos æquis pre-
tiis vendat nè annona oneretur, *per l. annona 6. ff. de extraord.
crimin.* Etiam si quis merces venales non exposuisset, nec eas
publicæ venditioni obtulisset, *Dd in l. 1. C. de Episc. audient. &
per text. in l. 1. §. cura carnis 1. ff. de offic. pref. urb.* Non tamen eas
res quis vendere cogitur, quibus pro familiâ suâ sustentan-
da opus habet, cum ordinata charitas incipiat à seipso, *l. præ-
ses 6. C. de servit. & aqua.*

97. *Quartò*, is qui emit filium venditum à patre tem-
pore famis (quod leges permittunt, ut apparet *ex l. 2. C. de pa-
trib. qui fil. suos distrax.*) oblato pretio tenetur illum patri resti-
tuere, *d. l. 2.*

98. *Quintò*, Invitatus etiam is vendere cogitur justo
pretio, à iudice tamen taxato, qui exposuit res proprias ven-
ditioni. Sunt vero quædã res, ut gemmæ, vestes pretiosæ, &c.
quas regulariter quis compelli non potest ut certo pretio
vendat, & tunc regula hæc procedit, Quilibet est rerum
suarum moderator & arbiter, *l. in re mandata 21. C. mandati.*

C. 3.

99. Suffi-



99. Sufficiant hæc de iis qui hunc contractum celebrari possint vel non, & qui ad ejus celebrationem cogantur, ulterius quibus in rebus fieri possit pro instituto attingemus. Omnium autem rerum quas quis habere vel possidere vel persequi potest, venditionem rectè fieri dicimus, *d. l. si in emptione 34 §. 1. ff. de contrah. empt.* (exceptis iis quæ sunt exemptæ à commercio nostro, vel naturâ, vel jure gentium, vel civili, ut sup. latius dictum est.)

100. Non tantùm corporalium, sed & incorporalium: ut sunt nomina & actiones, quas quis habet contra alium, *l. emptori nominis 6. & l. nomina eorum 17. ff. de hered. vel action. vend.* licet fiat invito & ignorante debitore, *l. 3. C. eod. t.*

101. Quæ non aliter quam ante litem contestatam rectè venduntur: litigiosas enim res distrahi & transferre hac ratione judiciû in alium interdictum est, *T. T. C. de litigios.*

102. Etiam rei alienæ, quia emptoris rem facere venditor necesse non habet, *l. rem alienam 28. ff. de contrah. emptio.* non tamen aliter nisi inter ignorantes, vel emptorem saltem ignorantem, *d. l. si in emptione 34. §. item si 3.* is enim re evictâ interesse suum à venditore consequitur, *l. 23. C. de Eviction.*

103. Quando autem scienter rem alienam aut aliâ obligatam emit, de Evictione agere non potest, & sibi imputet cur non expressè de evictione stipulatus sit, *l. si fundum 27. C. d. t.*

104. Ut & rerum futurarum & illarum quæ nondum sunt in rerum natura, *l. 8. ff. de contrah. empt. l. 8. ff. de pericul. & comm. rei vendit.* quod intellige cum hac distinctione, ut si res speratur esse vel nasci, ut sunt fructus nascituri, item partus ancillæ, foetus pecorum & similia. Et tunc possunt vendi cum nascuntur verè, si autem non nascituri sunt non tenet contractus, nec est emptio, quia habet tacitam conditionem si nascantur, *d. l. 8. ff. de contrah. empt.*

105. Va.

105. Valet quoque venditio hæreditatis universalis, quæ alicui delata est vel ex testamento vel ab & intestato, ex quibus patet quod necesse sit mortuum esse eum de cuius hæreditate agitur, quia viventis hæreditas nulla est, *l. 1. ff. de hered. vel. act. vend.* Et pacta de hæreditate viventis inita, legibus improbantur, *l. fin. C. de pact.* A creditoribus vero, etiam post factam venditionem venditor rectè convenitur, quia eorum jus debitor hæres contrahendo tollere nequaquam potest, *l. debitorem 25. cum l. seq. C. d. t.*

106. Legibus etiam approbatur venditio servorum ut exportentur, ut patet *ex tit. ff. de serv. export.* & c. item ut manumittantur, ut *ex tit. C. si mancip. ita fuerit alienat. ut manumitt. vel contrà.* Ac filiorum à parentibus ob famem, ut *ex tit. C. de patrib. qui filios distrax.* Ancillarumq; nō tamen ut prostituantur ut *ex tit. C. si mancip.*

107. Deniq; vendito fundo, fructus & instrumenta adhærentia, quasi pars fundi venditæ intelliguntur, *l. qui fundum 40. § qui agrum & §. final. l. si aquæ ductus 47. cum ll. seqq. l. fistulas 78. ff. de contrah. empt.* in summa quicquid cohæret rei venditæ venditum intelligitur *l. Æde 73. ff. d. t.*

108. Cum nihil sit tam naturale quam eo genere quid dissolvere quo colligatum est, *l. nihil 35. l. omnia 100. l. fere 153. ff. de R. I.* (cujus exempla habemus in multis Juris civilis capitibus, ut: in matrimonio, *tot. tit. ff. de divort. & repud. Nov. 22 de nupt.* in patria potestate, *tot. tit. Inst. de patr. potest. & tit. Instit. quib. mod. jus patr. potest. solvit.* in tutela, *tot. tit. Inst. de ordin. testam. & tit. quib. mod. testam. infirm.* in obligationibus, *tot. tit. Instit. de ob. g. & tit. quib. mod. toll. oblig. & c.*) sequitur quemadmodum contractus emptionis venditionis nudo consensu & voluntate partium perficitur, cum contractum, partium (non unius *l. 3. & 5. C. de rescind. vendit.* quia ut ab una parte non perficitur ita nec rescinditur, *l. 1. ff.*

l. 1. ff. eod. t.) dissensu contrario, si videlicet res adhuc est integra, dissolvi posse, *l. prout 80. ff. de solut. l. ab emptione 58. ff. de pactis.* ecus si subsecuta fuerit traditio, tunc enim simul restitutio rei traditæ fieri oportet. *l. 1. & l. cum emptor. ff. de rescind. vend.* Et hic potissimum est modus resolvendi hunc contractum.

109. Deinde rescinditur propter dolum contrahentium, *l. & eleganter 17. ff. de dol. mal. ubi Dd. & l. 5. C. de rescind. vend.* Cum nemini dolus suus contra naturalem æquitatem prodesse, patrocinari, seu lucro esse debeat, *l. 1. § 1. ff. de dol. mal. & met. except. Dn. Procancellarius Ioh. Kitzel. in prælect. publ. d. c. tua nos 36. ration. dub. 1.* Nam si dolus dedit causam contractui, contractus est ipso jure nullus, si is qui dolo circumventus est dixerit esse nullum: si vero dolus incidit in contractum rescinditur, quando ille non vult stare contractui qui dolum passus est, cum hoc beneficium rescissionis in ejus favorem sit introductum.

110. Tertiò rescinditur emptio venditio remedio *l. 2. C. DE RESCIND. VENDIT.* (quod veteribus JCtis incognitum fuit *l. 16. §. penult. ff. de minor. l. A Divo Pio §. si pignora ff. de re judic.* nec quicquam de hoc remedio in π . est sancitum nec certa quantitas expressa.) ut si venditor qui majoris (nam minor in integrum restituitur etiam si infra dimidium justii pretii læsus sit) ultrà dimidium justii pretii deceptus seu læsus sit, veluti si rem decem dignam quatuor vendidit.

111. Cum hæc lex generaliter loquatur idem etiam in emptore obtinebit; Si rem empta pretio excedente plus duplo valorem. Nam hoc remedium venditori non competit quod venditor sit, sed quod læsus seu deceptus sit. Ergo si & emptor læsus erit, remedium *d. l. 2.* locum habebit. Ac ubi est eadem ratio idem jus statui debet.

112. Nec

112. Nec interest læsio circa rem mobilem vel im-
mobilem contingat, utrobiq; enim *d. l. considerabitur.*

113. De rebus immobilibus dubitari non potest, cum
harum expressè mentionem faciant, *d. l. 2. l. 4. & 15. C. eod. tit.*

114. In rebus mobilibus beneficium hoc locum non
habere *Cujac. 16. obs. 13. tradit.* Verùm cum ab Imperatoribus
in d. l. 2 in pr. vocabulum *REI.* (cujus appellatio est latissima
l. 5. de V. S.) positum sit, concludo hanc nostram *d. l.* tam ad res
mobiles quàm immobiles pertinere.

115. In transactione autem hoc remedio uti non po-
test *l. Lucius Titius 78 §. fin. ff. ad S. C. tum. Trebellian. l. 19. C. de*
transact.

116. Neq; venditor, si valorem rei sciverit, animo ta-
men lubenti infra dimidium justii pretii vendiderit, ex hac
lege agere potest. Nam sciens læsus & deceptus dici nequit,
cum ei injuria fieri non possit, *l. Nemo 45. ff. de R. I. & l. 1. §. usq;*
adeò 5. ff. de injur.

117. Nec is qui huic beneficio juramento renuncia-
vit: cum omne juramentum sit servandum, si modo non ver-
gat in dispendium salutis æternæ, vel in alterius præjudi-
cium. *c. cum contingat de jurejur.*

118. Idem dicimus de eo qui huic beneficio speciali-
ter renunciavit, si enim generaliter renunciatum sit omni-
bus beneficiis, non tamen censebitur remedio legis nostræ
renunciatum.

119. An autem contra tertium possessorem compe-
tat? R. illud contra tertium possessorem non competere,
quoniam actio hinc resultat personalis, non realis.

120. Circa jam dicta ulterius quæritur, Quando re-
scinditur contractus, resq; restituitur & redditur, an debeat
reddi cum fructibus? Quod ex hoc fundamento negamus,
quòd iste qui possidet rem, cum titulo possideat, bonâq; fide,

D

& si



& si unus habet rem, alter pretium, non potest dici possessor in morâ.

121. Quartò Redhibitio etiam quædam venditionis est resolutio, & contractum in totum rescindit, redditâ re vendita & pretio accepto, cæterisq; omnibus restitutis in integrum. *l. Pomponius 13. §. præterea ff. de acquirend. possess. l. Bovem 43. §. aliquando 6. & l. facta 60. ff. de edilit. edict.*

122. Hæc actio Redhibitoria duplici ex causa competit: ex reticentia venditoris, & ex dicto promissove.

123. Ex reticentia, si venditor morbum aut vitium rei venditæ quod latebat, quodq; emptor nesciebat, reticuerit.

124. Ex dicto promissove, si falsò quid affirmaverit, ut equum non esse calcitrosum, cum esset. Nam adversus dictum promissum vé vendidit *l. 1. §. 1. ff. d. t.*

125. Sunt verò aliquæ causæ propter quas ob morbum aut vitium rei, venditor non tenetur, quarum tres à Donello referuntur.

126. Prima, si venditor, sciens quid morbi vitii vé sit, moneat emptorem, & quidnam id sit palam & rectè pronunciet, uti in æditio edicto expressum est, *in l. 1. ff. d. t.*

127. Secunda causa est, si venditor morbum aut vitium ignorans, & tamen metuens ne aliquid existat, postea nominatim sibi caveat & paciscatur, nè morbi vitii vé nomine, si quod erit, teneatur, *l. queritur 14. §. pen. ff. d. t. l. pacisci 31. ff. de pact.*

128. Tertia est, si vitium ita sit evidens, ut sit in conspectu cuiusq;, ut si equus palam cæcus aut claudus veneat, non tenetur venditor, etiam si de vitio nihil dixerit, nec sibi caverit. Non enim necesse est moneri emptorem, qui vitium palam quod erat, non ignoravit. *d. l. 1. §. si intelligatur 6. & d. l. Queritur 14. §. ult.*

129. Quod

129. Quod si venditor taceat, & ab initio vitium non appareat, sed suspicio sit subesse? Ad hoc emptor agi potest ut vel caveat de vitio, vel redhiberi patiatur *l. si venditor 38. eod. tit.*

130. Non tamen hac actione redhibitoria finito sex mensium spacio uti poterit *l. sciendum 19. §. fin. l. Ediles ajunt 38. l. cum sex 55. ff. eod. & l. 2. C. eod.* Nec locum habet nisi tale sit vitium, quod usum rei impediat. *l. 5. ff. d. t.*

131. Verùm si emptor sex mensium exceptione redhibitoriã sit exclusus, intra annum si velit æstimatoriã agere potest, *d. l. Ediles ajunt 38. l. si tamen 48. §. non nocebit ff. eod. d. l. 2. C. eod.* quando videlicet rem emptam vult retinere. Etsi ab initio emptoris sit electio, ultra actione, redhibitoriã an æstimatoriã experiri velit *l. si quid 18. in pr. ff. eod.*

132. Æstimatoria actio (quæ etiam quanti minoris *in l. quod si nolit 31. ff. d. t.* vel quantò minoris actio dicitur *in l. si quid 18. in pr. & l. bovem 43. §. aliquando 6. ff. eod.* & ex iisdem causis, ob quas redhibitoria datur, agit) contractum non in totum rescindit, sed quantò minoris res fuit propter morbum aut vitium cum veniebat, ut quantum id fuit tantum emptori reddatur, agit.

133. Quid autem si multò pluris emptoris intersit rem morbosam aut vitiosam venditam non fuisse, an non etiam agi potest exempto eo nomine in id quod interest, ut ea detrimenta quæ emptor ex emptione traxerit, omnia ei præstentur? ut puta venditum est pecus morbosum, ex quã venditione, pecora emptoris contagione perierunt. & sub distinctione, si venditor rem morbosam aut vitiosam vendidit ignorans, nec sanam esse affirmavit, tum venditor actione redhibitoria seu æstimatoria, non autem id quod interest, tenetur. *l. Julianus 13. in pr. ff. de act. empt.* si vero sciens recitavit & emptorem decepit, omnia detrimenta quæ ex



eā emptione traxerit, venditor præstare tenetur *d. l. Julianus 13.*

134. Excluditur igitur emptor tam ab actione redhibitoriâ quam æstimatoriâ finito anno *d. l. ædiles ajunt 38. d. l. s. tamen 48. §. non nocebit, ff. d. t. & d. l. 2. C. eod.* sive cum pactus est se iis non usurum. Pacisci enim contra edictum ædilium licet, sive in ipso negotio venditionis gerendo convenisset sive postea *l. pacisci 31. ff. de pact.*

135. Suprà diximus has actiones (videlicet redhibitoria & æstimatoria) competere emptori contra venditorem. Verùm redhibitoria competit tam venditori in emptorem, quam emptori in venditorem, ut scilicet præter rem fructus & accessiones restituat, *l. quod si nolit 31. §. restitui 19. & §. ult. l. proinde 33. eod.* & quicquid factum emptoris vel suorum in re datum est, resarciat. *l. cum autem 33. C. eod.*

136. Cum autem eadem actio ex empto competat, *l. Julianus 13 in pr. ff. de act. empt.* Et qui civilem habeat frustra desideret honorariam, ut in *l. 1. ff. de publ. in rem act. dicitur.* Inde quidam contendunt hanc actionem esse supervacaneam. Attamen cum hæ actiones in multis differant, hæc supervacanea dici non potest, ut à *Wesemb. in w. de adilitio edicto n. 10. traditum est.*

137. Jam ultimo loco de actionibus empti & venditi breviter etiam dicendum erit: ut autem actio empti locum habeat tria requiruntur.

138. Primum est ut res sit emptæ. Secundum ut pretium sit solutum aut certè totum oblatum *d. l. Julianus 13. §. offerri 7. ff. de act. empt. l. quod vendidi 19. l. ut res 53. ff. de contrah. empt.* Nam qui sibi cupit contractum impleri, is ut illi sua à parte omnia satisfaciatur vel satisfacere paratus sit, oportet, *l. cum proponas 21. C. de pact. l. sive 28. C. de transact. T. T. C. de except. rei vend.* aliàs repellitur exceptione pretii non soluti, &
ven-

venditor eam rem quam vendidit quasi pignus retinere potest *d. l. Julianus 13. §. offerri 7.* Tertium ut res non sit tradita, vel non debito modo.

139. Primò potest emptor agere ad rem venditam, si modo venditor ejus præstandæ facultatem habeat, præcisè tradendam. *l. ex empto 11. §. 2. l. servus 30. §. un. ff. de act. empt. §. alia autem Inst. de donat.* (Traditionem vero intelligere debemus non tantum naturalem, quæ fit de manu in manum, sed etiam fictam seu civilem, veluti clavium traditionem, item traditionem instrumenti autoritatis, item obsignationem & hujusmodi alias.)

140. Ejusq; vacuam possessionem. *l. 2. §. 1. l. 3. §. 2. d. l. ex empto 11. §. idem Neratius d. t. l. Fistulas 78. §. 1. ff. de contrah. empt. l. cum res 11. C. de probat.* Nam parum differunt inter se, non fieri aliquid vel non legitimo modo, non tradi vel non modo debito: Et vacuam possessionem accipimus quæ à nemine detinetur seu possidetur, ut latius sup. in th. 37. dictum est.

141. Etsi quidem emptor ad rem præstandam agere possit, tamen in ejus arbitrio positum est, utrum ad rem an ad interesse agere malit. *l. 1. ff. de act. empt. l. si traditio 4. l. cum venditorem 10. & seq. C. eod.*

142. Secundò ad partus, fructus & accessiones quas venditor à tempore contractus percepit. *d. l. Julianus 13. §. si fructibus 10. l. fructus 13. & l. penult. C. eod.* & generaliter ad omne commodum quod rei venditæ post perfectam venditionem accessit, nisi aliter inter contrahentes conventum sit.

143. Tertiò hac actione repetuntur arrhæ *l. ex arrhali 3. C. de act. empt.* ut quando arrhæ sunt argumentum & probatio emptionis venditionis, & contractus partium consensu dissolutus est. *d. l. ex empto 11. §. is qui vina 6. & d. l. 3. C. eod. tit.*

144. Quartò datur etiam emptori hæc actio pro evi-
D 3 ctione

ctione rei venditæ (quam venditor ex naturâ contractus, etiam si nihil super eâ convenerit, præstare debet *l. 6. ff. de evict. l. 6. C. eod. t. d. l. ex empto 11*) ut quando res vendita per verum dominum evicta est.

145. Quo casu venditor emptorem cogitur defendere in foro rei conventi *l. venditor 49. ff. de judic. l. 1. C. ubi in rem act. exercer. deb.* Si modo emptor venditori denunciaverit litem contra se esse motam, eumq; propter auxilium & defensionem imploraverit *arg. l. 1. C. de peric. & comm. rei vend. l. qui absentem 75. ff. de procurat.* Et quidem congruo loco & tempore. Et si hoc facere neglexerit & in iudicio succubuerit resq; evicta fuerit, actionem de evictione non habet. *l. emptor fundi 8. cum l. seq. C. de evict.* Excusatur tamen ob omissam denunciationem si venditori denunciare non potuit *l. si dictum 56. §. simili 5. ff. eod. l. si permutationis 29. C. eod.* Et regulariter quando res habetur ex causâ onerosa & evincitur de evictione omnibusq; litis expensis necessario factis agi potest.

146. Inde apparet donatorem de evictione non teneri, quia donator non videtur aliud donare quam jus quod habet in re, & res eo modo ad neminem titulo oneroso pervenit, *l. ad res donatas 62. ff. de ad. lit. edict. l. Aristo 18. §. fin. ff. de donat.* nisi evictio promissa fuerit stipulatione.

147. Promittitur vero stipulatio aliquibus modis primò de simplo, deinde de duplo: in stipulatione simplæ promittit venditor, si res emptori evicta esset, se simplum pretium restituere velle, ut colligitur ex *l. evictare 16. & l. emptori 37. §. fin. ff. de evict.* in stipulatione duplæ promittit, si res evicta esset, se duplum pretii conventi præstare velle *l. vendicantem 17. l. cum fundus 48. ff. d. t.*

148. Quæ stipulatio duplæ non de quavis re, sed de ea quæ alicujus pretii sit, interponitur: si margarita fortè, aut ornamenta pretiosa, vel vestis serica, vel quid aliud non con-

tem-

temptibile veneat *l. emptori 37. eod.* stipulari etiam & triplum
& quadruplum possumus *l. si dictum 56. eod.* At in dubio sem-
per simplæ stipulatio interposita iudicatur. *l. si in venditione*
60. eod.

149. Cessat hæc actio 1. Si sciens emptor rem alie-
nam emerit *l. si fundum 27. C. eod.* Et hoc quidem usq; adeo
procedit, quod neq; emptor ad pretii restitutionem agere
possit *d. l. si fundum 27.* videtur enim donare qui sciens rem e-
mit alienam. *l. 1. C. de condict. indeb. & l. cuius 53. ff. de R. I.* 2. Si
per injuriam res ei auferatur, injuria enim quæ fit emptori,
auctorem non debet contingere *l. per imprudentiam 51. ff. eod.*
3. Si litem contra se motam venditori suo non nunciaverit
l. si ideo 55. §. un. ff. eod. 4. Si præscriptio à tempore venditio-
nis advenerit. *l. qui alienam 54. ff. eod.* 5. Si per violentiam res
ab emptore auferatur, quia venditor nō tenetur defendere
emptorem de violentia *l. fin. C. de act. empt.* 6. Si res ei auffer-
ratur ex suâ culpâ *l. hoc jure 27 ff. de evict. l. quod quis 203. ff. de*
R. I. vel negligentia l. si cum venditor 66. ff. d. t. de Evict.

150. Emptoris vero culpa res evincitur multis modis
quarum quatuor hic recensere lubet. 1. Si non appellavit
à priori sententia *l. Herennius 63. §. 1. ff. eod.* 2. Si quidem ap-
pellavit sed non est profecutus appellationem intra tempo-
ra fatalia *d. l. Herennius 63. §. fin.* 3. Si potuisset rem usucape-
re & non usucepit. 4. Si sua culpa decidit à possessione rei
emptæ. *l. si dictum 56. §. 3. ff. d. t.*

151. Deniq; hîc quæri habet, an emptor possit com-
pellere venditorem, ut præstet ei fidejussorem evictionis?
quod per text. expressos in *l. 4. in pr. d. l. si dictum 56. in pr. l. em-
ptoris 67. ff. & l. 3. C. de evict.* negamus. Nisi in principio
contractus de dando fidejussore actum sit, *d. l. 4. ff. d. t.* aut pe-
riculum evictionis in limine contractus immineat. *l. si post
perfectam 24. C. eod. l. habitationum 18. §. un. ff. de peric. & comm. rei
vend.*

152. Quin-



152. Quintò hac actione agi potest ad interesse, ut quando traditio tempore debito facta non est, aut venditor celavit qualitatem seu onus, veluti servitutem quam fundus venditus debet *l. 1. §. un. ff. de act. empt.* aut quando res quæ vendita est sub debita & promissa mensura non est tradita *l. 2. & l. 4. §. un. ff. d. r.*

153. Sextò quicquid dolo vel culpa venditoris abest, quicquid alterum alteri ex bona fide præstare æquum est, quicquid pactis comprehensum & quicquid naturaliter inest hac actione rectè peti potest *l. 2. §. 3. ff. de O. & A. l. Tenetur 6. §. 1. d. l. ex empto 1. in pr. l. pacta 72. ff. de contrab. empt. & c.*

154. E contrario actione venditi (quæ utrinq; directa est, tam à parte *emptionis* quam venditoris, quia in hoc contractu par est contrahentium conditio, & unus contrahentium iisdem pænè modis obligatur quibus obligatur alter) agere venditor potest, cui rei jam traditæ vindicatio amplius non competit, nam ejus dominium si quod habuit & omne jus suum in emptorem transtulit. *l. incivile 12. C. de R. V.*

155. Ut autem venditor cum effectu agat, oportet ut non tantum rem vendiderit, verùm etiam eam tradiderit, aut recusanti obtulerit, aliàs, si res tradita non sit, ei obstabit rei non traditæ exceptio *l. qui pendente 25. ff. de act. empt.*

156. Primò agit venditor ut ei solvatur totum pretium si totum non sit solutum, aut ejus pars si pars non sit soluta, unà cum usuris à tempore rei traditæ *d. l. Julianus 13. §. ex vendito 19. l. 5. C. cod. tit. l. Evictionis 18. §. un. ff. de i. sur.*

157. Interdum etiam à tempore moræ *l. 5. C. de pact. inter empt. & vend. l. fructus 13. C. de act. empt.* Æquissimum enim est, cum emptor re & pretio fruatur, eum uturas pretiiolvere *d. l. Julianus 13. §. veniunt 20.* Et in quum foret moram debitoris damno esse creditori. Quæ tamen non jure actionis sed officio judicis petuntur *l. qui per collusionem 49. §. un. ff. cod. l. fru.*

l. fructus 13. C. eod. Quando autem nec traditio facta est neque mora intervênit, verum non est usuras à tempore contractus venditori deberi. *l. evictis 18. ff. de v sur. d. l. 5. C. de pact. inter. empt. & vend. & d. l. fructus 13. C. de act. empt.*

158. Secundò ad restituendum aliquid, ut quando à venditore plus quam ex contractu tenetur, traditum est. *l. fundi 17 §. si ruta. l. si tibi liberum 8. ff. de act. empt.*

159. Tertiò ut res emptas aut emptor tollat aut id quod interest præstet. *l. 1. §. licet ff. de peric. & com. rei. vend.* inde apparet quod hæc actio venditi non tantum post verum etiam ante traditionem intentari possit.

160. Quartò ad restituendos sumptus quos fecit in rem venditam post perfectam venditionem, *d. l. Julianus 13. §. præterea 22 & l. penult. C. eod.* Sed hic tres conditiones adjici debent. Prima est, si sumptus bonâ fide facti sunt. *d. l. penult. C. de act. empt.* Secunda, si post venditionem contractam facti sunt, ut colligitur ex *d. l. penult.* Tertia, si ante traditionem facti sunt, ut apparet ex *d. l. Julianus 13. §. præterea 22.* Potest & quarta addi, si videlicet venditor quid impenderit in eas res, in quas constat velle emptorem impendi, quamvis parùm utiliter. *d. l. Julianus 13. §. præterea 22.*

161. Quintò hæc actio datur ut emptor factum quoddam expediat, *l. si is qui lapides 9. ff. de act. empt.* in quâ lege venditor actione ex vendito contra emptorem, ut tollat rem venditam, agere potest.

162. Sextò quando res cum pacto de retrovendendo vendita est, & venditor pecuniam obtulerit, hac actione agi potest, ut ei res revocetur. *l. 2. C. de pact. inter. empt. & vendit.*

163. Denique datur hæc actio ad consequendum omne quod ab emptore præstari oportet, & quicquid ex natura contractus debetur, aut dictum conventumque fuit.

E

164. II-



164. Illud conclusionis loco addam quod utraque actio tam empti quam venditi, tam emptoris, quam venditoris hæredibus competat: Nam omnes actiones ex contractu descendentes regulariter activè & passivè ad hæredes transeunt §. non solum. Inst. de perpet. & tempor. act. ut supra quoque in th. 75. dictum est.



C O R O L L A R I A.

DE JURE DIVINO ET NATURALI dubitatur, an Usura admitti debeant? Affir. Distinguendo tamen cum Wesenbec. in par. h. t.

DE JURE CIVILI controvertitur an fidejussor, qui se obligat ut principalem, Er wolle auff den Fall der nicht Zahlung selbst Schuldener syn / vnd die Schuld als eine von ihm gemachte eigen Schuld bezahlen / hoc casu gaudeat beneficio ordinis? Neg.

EX JURE CANONICO illam questionem adduco, an illa conventio valeat, si filia mediante juramento promiserit, se dote contentam fore, nec ullum regressum ad bona paterna habituram? Affir.

DE JURE FEUDALI ambigitur, an Vasallus sine impetratione veniæ Dominum feudi in jus vocare possit? Neg.

DE JURE SAXONICO ludendo, comedendo & bibendo omnibusque actionibus familiaribus, quibus quis in amicum utitur, injuria tollitur.

Præ-



Præstantissimo & doctissimo Viro,

DN. PHILIPPO SIGISMUNDO

CLUDIO, *Juridicè disputaturo, salutem perennem comprecor.*

CLUDI, præclari soboles laudata parentis
Ad Patrios tendit, ductu virtutis, honores,
Nec gaudet Patrium vitiorum labe malignâ
Obscurare decus, Patriâsq; extingvere laudes,
Sed potiùs satagit, decus ut florescat avitum.

Fallor? Id ipse tuo testatum reddis honoro
Exemplo, dum celsa petis Prytanæa, cathedras
Juridicas scandens, problemata docta resolvens,
Ingenii & dotes pandens, & mentis acumen
Ostendens, legum firmo peltatus amictu.

Gratulor ipse tibi de tam molimine dextro,
Quod tibi ter sanctus felicitet ipse Jehova:
Hisce vige felix, & perge nitescere mundo.
*Nam virtus latitans cæcis hebetescit in antris,
Mens virtute valens claris augetur in hedris.*

*Justus Fewrbornius, S. Theol. D.
Profess. & Ecclesiastes.*

E 2

ALIUD





ALIUD AD EUNDEM.

EXpetis ut plaudam, Cludi tibi carmine
amico

Conatusq; tuos, nostra Thalia probet.
Ec quis non probet hoc, quod tu pleno impete Leges
Evolvis nostras, multiplicesq; plicas.
Quae sint vendendi, gentis de more vetustae
Jura, his de, ex iuris differis arte probè.
Laude patris dignam rem praestas: Cludius an-
Laude satis volitat docta per ora virum (ne is
Laude vehi dignus, propria virtute decenter
Clarius qui ex famâ nominis esse cupit?
At multò maiora meret praemia laudis
Qui benè quaesitas, Nominis auget opes.
Fama Patris clari vel solo nomine clarum
Te facit, hanc studiis, perge fovere tuis.

THEODORUS Keinkingf/ D. Hass.
Darmstadt. Consiliarius. Præ-
stantiss. Dn. Respondenti gra-
tulatur.

Præ-

ALIVD.

Præstantissimo & Eruditissimo Viro,

DN. PHILIPPO SIGISMUNDO CLUDIO,

J. U. C. publicè disputaturo.

Vita hominum variis agitatur casibus, illam
Undiq; circumstant jurgia, litis amor.
Hæc miserè socium lacerant, ceu vulnera, corpus,
Sed *Themis* hîc medicas applicat alma manus.
Dum casûs æquâ legum moderatur amussi,
Cuique suum tribuens quod videt esse pium.
Assiduo hanc Cludi studio excolis, atque Parentem
Egregium sequeris Juris in arte virum.
Julia quem venerans *Academia* suspicit, & quem
Iuclyta Clarorum consulit Aula Ducum.
Cludi, sic porrò præclarum imitare Parentem,
A *Themide* ut quondam clara brabea feras.
Et, velut à Patre, sic à te Respublica certam
Rebus in ambiguis experiatur opem.

*Amicitia ergò, ex mutuò quondam convictu
contractæ, animo lubentissimo F.*

M. Martinus Helvicus, Lingg. Græc.
ordin. Hebr. extraord. Professor.

E 3

ALIUD.



ALIUD.

Quam virtus præclara micat? quam divitis ardor
Ingeni radiat, nec scit latitare sub umbris?
Exemplum præbes, CLUDI, dum cuncta recludis
Ingenio, Themis alma fovet quæ iura recessu,
Ex quæis Venditio bona, quæq; sit Emptio iusta
Differis egregiè, lites & finis obortas.
Finis? Quin & emis cum cognitione decorâ
Suave decus laudemque, & in imâ mente reponis;
Vendere quo possis, sed venditione decenti,
Strenuus in multis quæ, ut apes sua stipat Hymetto
Mella, tibi congesisti sudore Lycaeis.
Gratulor ex animo: tu perge recludere CLUDI
Ingenteis Themidos fontes; Sigismundus in armis
Legum semper oves, vincas hominesq; malignos
Ac nodos, pressos tutare & consule iusta,
Sic & justus eris, fratrem, referesq; patremque,
Sic honor in terris, surget sic gloria cælo.

Gratulabundus fundebat

M. Jacobus Dürfeld / Osnab. Westph.

F I N I S.





ULB Halle

3

005 030 471



WMA







Farbkarte #13

B.I.G.

ridica

1620, 2 165

NE ET
ONE.

nte,

IO
fimi VIRI,

ULRICI
.U.D.

avii LUDOVICI,
nia Giessenæ Pan-
rii, Præceptoris
s modis

edere conatur

DUS CLUDIUS,
SAXO.
die Augusti.

RUS LUCIUS,

18

14

